


05

A

2202





M
C
-



37

7

Ex Practicâ Philosophiâ

De

A M I C I T I A,

PRÆSIDE

M. MICHAELE VVENDELERO P.P.

publicè disputaturus est

OSWALDUS HECHTIUS Magdeburgensis

die 22. Maij boris antemeridianis

in Auditorio minori.

WITTEBERGÆ

Ex Officinâ Typogr. MICHAELIS WENZ.

ANNO M DC XLI.

Hoc Exercitium Academicum

offici

OSWALDUS HECHTIUS

Relp.



V I R I S

Magnificis, Amplissimis,
Consultissimis & Prudentissimis, Dnn.
Consulibus, Syndico, cæterisq; inclytæ Reipub.
MAGDEBURGENSIS Senatoribus meritissimis,
Patriæ Patribus vigilantissimis, Dominis, Pa-
tronis, Promotoribus & Evergetis meis
optimis & maximis.

*S*um memor, ô Patria Patres, summiq; Patroni,
Collata à Vobis quæ benefacta mihi.

*Pro quibus ipse quidem non re, sed pectore, gratus,
Dum reget hos artûs Spiritus, esse queo.*

*Hoc ego quò tester, parvum nunc offero munus,
Dictavit celebris quod Witeberga mihi.*

*Hoc exercitium Vos acceptate benigno
Vultu pro vestrà dexteritate precor.*

*Et porrò vestri, quem constans spero, favoris
Eveniat studiis aura benigna meis.*

*Sic Vos destituat nunquam Clementia Jovæ,
Qui Vos consiliis auxiliisq; juvet.*

*Quin cineres pereant: redeat flos integer Urbis,
Virgineum Vobis sospitibusq; decus.*

Hoc Exercitium Academicum
offert

OSWALDUS HECHTIUS
Resp.



05 A 2202

Amicitia, quæ vel virtus est, vel cum virtute magnam habet cognationem, non sumitur hîc pro quâvis naturalium rerum convenientiâ, sed pro mutuo inter homines amore & concordia, definiturque mutua & manifesta in aliquos benevolentia, vel virtutis, vel voluptatis, vel utilitatis causâ atque ejus ipsius gratiâ, qui amatur, animo concepta.

2. Amicitia dicitur benevolentia, cum non ex verbis, sed aliunde veniat pensitanda. Hinc qui amicus alicujus est, ei etiam benè velle dicitur. Mutua debet esse, cum non sufficiat, ut unus tantum alterum amet, sed requiratur *ᾠπιφιλησις*. Nisi uterque amet, ait Plato, neuter est amicus. Quam ob causam ab amicitia excluduntur bestia & res inanimata. Hæ licet à nobis amentur, non tamen ab iisdem redamamur.

3. Manifesta quoque est illa benevolentia ita, ut verbis, factis atque officiis declarari eam oporteat. Alioquin alter nescit affectum tuum, in animo abditum, nisi hunc ipsi manifesto officii signo convenienter detegas. Atque ita vera amicitia differt ab occultâ benevolentia, quæ etiam potest esse inter ignotos, quibus neque aliquid boni fecimus, nec facere possumus: nec non à falsâ & fucatâ eorum, qui verbis & gestibus, se esse amicos simulant, factis autem non declarant.

4. Porro benevolentia illa concipiatur vel virtutis, vel voluptatis, vel utilitatis causâ. Pertinet hoc ipsum discriminis ad causam efficientem, atque objectum, nimirum *φιλητόν*, quod ad sui amorem allicit ob eam, quæ ei adest, bonitatem. Hæc autem bonitas vel ex honestate, vel utilitate, vel jucunditate æstimatur, adeoque triplex amicitia objectum constituitur, honestum scilicet, utile & jucundum. Cui itaque horum trium aliquid inesse putamus, ad ejus amorem statim incitamus.

5. Tandem benevolentia illa sit ejus ipsius gratia, qui amatur, animo concepta. Hæc nota separat amicitiam ab adulatione atque eo affectu, quo diligimus res vel inanimatas, vel etiam animatas.

6. Causæ amicitiae sunt vel primariae, vel secundariae. Primum obtinet locum 1. natura. Homo enim magis animal est civile, quam quævis apis & quodvis animal congregabile. 2. Potissimum similitudo, & æqualitas ætatis, ingenii, vitæ, morum ac studiorum. Similitudo n., ut Cicero ait in Catone majore, mater est benevolentiae, consuetudinisque & familiaritatis conciliatrix. Æqualitas intelligitur non saltem Arithmetica, quæ in officiorum ac personarum paritate consistit, sed etiam Geometrica. Hæc personarum inæqualitas compensatur æqualitate officiorum, eâ ratione, ut illud cuique tribuatur, quod ei debetur. Sic æqualia habentur beneficia, ubi parentes educant liberos, & hi vicissim illos debito afficiunt honore. 3. Conversatio. Nihil tam amicorum proprium est, quam unâ vivere & iisdem gaudere. Hinc senes, cum horum consuetudo jucunda esse nequeat, inepti sunt ad amicitiam. Itidem & illi, qui nullam inde sperant utilitatem, qui que nullius rei indigi sunt, amicis oblectare se volunt, cum beati esse non posse sibi videantur si soli vivant.

7. Secundaria, quæ amicitiam conciliant, præcipua sunt hæc: 1. Utilitas, quam maxima hominum pars magis, quam virtutem, attendit, cum plerique, ut Cicero loquitur, neque in rebus humanis quicquam boni norint, nisi quod fructuosum sit; & amicos, tanquam pecudes, eos potissimum diligant, ex quibus sperant, se maximum fructum esse capturos. 2. Voluptas. Sic videmus, quod juvenes omnes ferme vix aliâ de causâ, quam ob mutuam oblectationem, amicitiam ineant. 3. Bonorum affluentia. Ut enim musca nidorem culinæ sequitur; ita haud pauci amicorum prosperam fortunam. 4. Egestas. Nam qui tenuioris est sortis, adeoq; auxilio & consilio indiget, aliorum familiaritati sese insinuat, ut, quod ipsi deest, aut præstare nequit, ab aliis accipiat.

8. Amicitiam ut convictus constituit, ita etiam conservat. Hic enim ubi deest, præcipuus amicitiae usus, qui in mutuâ officiorum & beneficiorum communicatione consistit, declarari nequit. Hæc autem non nisi inter eos, qui unâ vivunt, locum habet. Quod ipsum dum astruimus, non perpetuam requirimus cohabitationem, cum id ob negotiorum diversitatem, quæ uni-
cui-

cuique incumbunt, fieri nequeat, sed tantum aliqualem ad ipsam amicitiam ineundam, sed perpetuam animorum presentiam. Reddit tamen longior corporum disjunctio amicitiam frigidam, quamvis non funditus tollat.

9. Ad formam amicitiae pertinent 1. amare & amari, magis tamen illud, quam hoc. 2. officiorum communicatio bonorumque communio. Haec vel manifesta est vel obscura. Illam amici certis conditionibus sese mutuo obligant; hanc ipsa natura hominibus tacite inserit. Illa existit inter cives, confederatos; haec inter parentes, liberos, fratres & cognatos.

10. Subjectum amicitiae sunt homines probi, utiles & jucundi, seu potius eorum societas. Finis proximus est redamari: intermedius, animis conjungi: ultimus felicitas Politica. Nam cum amicitiae fundamentum sit hominum societas, atque omnes reliquae societates ad perfectissimam reducantur societatem, & amicitia eò reducenda erit.

11. Hinc facile percipies, quomodo amici sint comparandi. *Oritur amicitia* (verba sunt Piccolominei Gradu 7. Philos. Moralis. cap. 4. p. 494.) *in recte constitutis animis hunc in modum: Cum fuerimus virtutum moralium formis decorati, rectoq; judicio praediti; insipientes in alterius animo per varias actiones eandem virtutis formam, illam ut bonam nostramq; habitui consimilem approbamus; commendamus, benevolentiaque prosequimur; qua benevolentia crescens appetitionem parit objecti, nec non desiderium conferendi beneficia in illud, ex quibus amatio sive dilectio constituitur. Et quoniam finem, qui est vita conjunctio, assequi non valemus, nisi alter quoque nos amet; propterea per congruentes virtutum actiones nitimur efficere, ut idem ab altero de animo nostro iudicium fiat, ut eadem ratione ipse quoque incipiat nos amare: qui mutuus amor actionibus variis temporisq; diuturnitate confirmatus in amicitiam transit: adeo ut à cognitione honesti ad benevolentiam, à benevolentia ad amorem, ab amore ad amicitiam fiat progressio: cujus rursus benevolentia est principium, amor medium, amicitia finis: sic amicitia per honestum principium honestaque media honestissimam perfectionem consequitur.*

12. Affectiones amicitiae petuntur ex eo amore, quo vir bonus seipsum prosequitur. Hujus proprietates sunt, sibi ipsi bene velle, benefacere, consentire, cohabitare, condolere & suam denique salutem & incolumitatem in primis expetere.

13. Ex his proprietatibus Philosophus colligit quatuor amicitiae adjuncta, nimirum benevolentiam, beneficentiam, concordiam & convictum. Benevolentia est appetitus pro eo, quem amamus. Beneficentia est actus secundus dilectionis, quam erga amicos nostram voluntatem re ipsa & factis declaramus, eosque nobis caros esse ostendimus. Concordia est civilis inter bonos consensus de rebus gravibus, utilibus & ad vitae societatem pertinentibus. Convictus tandem est amica inter bonos conversatio, conjuncta cum mutua officiorum communicatione.

14. De amicitiarum officiis hoc in genere est tenendum, ut suum cuique tribuatur, & paria iisdem compensentur beneficiis. Cum primis tibi delectus personarum venit observandus. Ita enim omnium, cum quibus amicè vivis, naturam perspectam, facilius erit factu, quomodo quisque colendus, & quid cuique sit praestandum.

15. Amicitiae cum virtute est commune extrema habere. Generaliter tam excessus, quam defectus inimicitia dici potest: specialiter excessus vocatur nimia amicitia, & defectus ejusdem negatio. *ἄπειρος φιλία* est coecus amor, qui amicorum gratiam nihil vel flagitii vel sceleris committere veretur: *ἀφιλία* contra omnem conversationem atque amicitiam suscipere deique habet.

16. Divisiones Amicitiae admittit varias. Prima desumpta est ab objecto, quod supra posuimus amabile. Hoc ut triplex est, ita etiam triplex constituitur amicitia, honesta nimirum, utilis & jucunda. Honestata est, quam solius virtutis conciliat studium. Haec primario adeoque proprie dicitur amicitia. In honestata enim amici ob solam virtutem, quae per se amabilis est, se mutuo prosequuntur amore: haec sola est constans, cum fundamento satis firmo, virtuti nimirum, innitatur: est tantum inter bonos: non praebet locum calumniis & suspicionibus: in se amabile honestum jucundum atque utile continet: rara est tum quod boni sint rari, tum

tum quod diuturnam requirat conversationem. Reliquæ duæ, quæ sequuntur, amicitia species improprie tantum, & secundum prius & posterius, ut Logici ajunt, adeoque tres amicitia species non sunt univocæ, sed analogicæ.

17. Amicitia utilis est, quam solum constituit commodum. Hæc instabilis est, cum, lucro cessante, ipsa cesset amicitia; neque, ut prior, admodum mutuam poscit conversationem, quod alter alteri possit esse usui, quamvis locis disjungantur, atque ejusmodi ad conversationem non satis deprehendantur idonei, partim ob morositatem, qua senes plerique laborant; partim ob suspicionem, cum nunquam non metuant, ne fraus in committendo lucro animadvertatur. Ad hanc non ineptè amicitiam, quæ est inter hospites, referimus.

18. Amicitia jucunda est, quam solæ voluptatis gratiâ inimus. Hæc itidem mutabilis est ob inveniendum, apud quos præcipuè invenit locum, inconstantiam, naturam voluptatis, quæ est momentanea, & affectuum varietatem, quibus nunc huc, nunc illuc agitantur. Utili tamen præfertur, quia homine ingenuo magis habetur digna, & temporis progressum non raro & ipsa evadat perfecta.

19. Deinde amicitia ratione eorum, qui contrahunt, vel est æqualis, vel inæqualis. Æqualis est inter fratres, sodales & commilitones. Nam hi ætate, moribus, dignitate, conditione atque aliis non sunt impares: Inæqualis contra inter patrem & filium, dominum & servum, maritum atque uxorem, Magistratum & subditos, quod hi omnes diversæ sint conditionis. In hujus farinae amicitia inæqualia etiam postulantur officia. Sic aliud postulat pater à filio, aliudque hic ab illo.

20. Porro alia sese nobis offert amicitia divisio, quæ sumitur à societate. Hæc ut est vel publica, vel privata, ita etiam amicitiam secant in publicam & privatam. Illa duplex est, *φυσική* & *ἐταίρική*. Naturalem ipsa natura hominibus implautavit, ita ut non ex aliquo manifesto pacto, sed naturæ instinctu sese ament mutuo. Hæc ulterius dispescitur in paternam, fraternam, conjugalem, agnatorum, & eam, quæ ex similitudine est aliqua.

21. Paterna amicitia inter parentes & liberos consistit, reliquarum que est fons atque origo. Causa hujus dicitur amor sui ipsius. Ut enim quisque se, ita etiam sua, amat. Hic quamvis liberi magis deberent amare ob beneficiorum magnitudinem, major tamen est amor parentum erga liberos, quam liberorum erga parentes. Imò matris major, quam patris.

22. Fraternalis amicitia est fratrum erga se mutua benevolentia atque amor. Causa hujus est eadem origo, ætatis æqualitas & tandem communis educatio atque institutio. Ætatis tanta est vis, ut quandoque, alienos etiam, qui nulla sanguinis necessitate nobiscum sunt conjuncti, nobis faciat amicos. Inde etiam locutio proverbialis ortum trahit suum: ἤλιξ ἤλικα τέρπει. Ex conversatione nascitur morum & studiorum similitudo, imò ipsa sodalium amicitia, quæ fraternalis perquam similis evadit. Quid quisque hic alteri debeat, tradit tibi Politica.

23. Conjugalis amicitia dividitur in primariam & secundariam. Primaria est, quæ conjuges mutuo se prosequuntur amore. Hanc ipsa natura inchoavit. Nam ad hanc homo magis, quam ad civilem, est pronus societatem, cum hæc omnium primaria maximeque necessaria sit societas. Adde quòd nihil magis naturale, magisque commune sit, quam sobolis procreatio. Eandem conservat honestum, jucundum atque utile: cum primis verò liberi, quibus, veluti vinculo, amor conjugum est connexus. Tendit ad sobolis procreationem & mutuam auxilium. Secundaria est, quæ consistit in affinitate & consuetudine colitur.

24. Quæ est inter agnatos & cognatos, ipsa etiam sanguinis conjunctio mutuam copulat charitate. Variat hæc, cum homo homini sit propinquior, alius vicissim alii alienior.

25. Tandem quæ ex quâdam similitudine descendit, consideratur, vel ratione speciei, ob quam homo naturam homini est amicus, vel ratione aliorum accidentium & circumstantiarum, ætatis nimirum, sexus, conditionis, morum, studiorum & similibus. Natura enim simile tendit ad simile. Verum hæc non tam Ethici, quam Phisici atque Astrologi, à quibus speciali nomine συμπαθεια, dicitur, ejusque contrarium ἀντιπαθεια, de qua notum est istud Martialis distichon: Non

Non amo te, Volusi nec possum dicere quare:

Hoc tantum dico, non amo te, Volusi.

26. Amicitia ἐταρξινῆ est, quæ ex humanâ ratione & præelectione inter alienos eosque pares oritur, & ad honestatem tendit. Circa officiorum communicationem sunt observanda hæc, qua virtute quisque sit præditus, quâ necessitudine nobis conjunctus, & tandem, quantum vel ipse nobis, vel nos ipsi possimus præstare.

27. Hactenus de privatâ, quæ omnis referenda venit ad publicam civitatis societatem: pergimus ad eam, quæ in diversis Reip. formis habetur. Formas Rerumpublicarum numerant tres: quando vel unus regnat, vel plures, vel denique omnes, sive ad salutem publicam, ut Rex, optimatum potentia & censualis potestas; sive ad propriam primariò & secundariò subditorum, ut dominus; vel tantum sui commodi gratiâ quis præest, ut Tyrannus. Priores status dicuntur recti, posteriores vitiosi.

28. Hæ formæ per quandam convenientiam applicantur etiâ ad domesticam societatem. Regni speciem representat imperium, quod exercet pater in filios: dominatum, & quandoque tyrannidem, imperium Domini in servos, & patris potestas in filios apud Persas. Aristocratia similis est conjugalis societas, cum ambo debeant esse optimi in domo. Degenerat hic status in vitiosum, quando vel maritus solus omnia vult administrare, vel uxor ob dotem dominari, diciturque esse γυναικονεγία. Timocratia videtur esse in fratrum contubernio. Hi enim quamdiu vivunt sub patris potestate, æquales sunt & opibus & dignitate. Statum vitiosum refert hic οἴκος ἀδέωνος, quando domus caret domino, qui eam rectè gubernet.

29. In his singulis tantum est amicitia, quantum in illis deprehenditur juris: tantum verò est juris, quantum communio- nis bonorum. Hinc in regio regimine & paternâ societate amicitia consistit ἐν ὑπερροχῇ, hoc est, in beneficiorum excellentiâ. Nam quò majora rex suis subditis, paterque liberis præstant beneficia ad bene beateque vivendum, eò majorem hi illis debent observantiam. Pat ratio est status optimatum & societatis, quæ est

B

inter

inter conjuges. In Timocratiâ & fraternâ amicitia invenit locum ea, quæ dicitur esse ἐν ἰσότητι. Nam ut illic cives sunt æquales fermè censû, ita & hic est prope æqualitas ætatis, auctoritatis, patrimonii, morum atque aliarum rerum. In vitiosis statibus amicitia est aut nulla aut perexigua, quòd ibi nulla ferè bonorum communio, ideoque etiam nullum jus, & quod sequitur, nulla amicitia.

30. Q. I. Num felix amicis, & quibus opus habeat? Cùm ex Alexandro Magno quæreretur, quales quantosque possideret thesauros, amicos ostendisse refert Plutarchus. Omnium enim bonorum pretiosissimum thesaurum esse amicum prudentem & benevolum ait Herodotus. Cùm autem vir beatus omnia teneat bona, etiam amicis erit stipatus. Siue amicis felix non commodè suas poterit exercere virtutes. Teneretur enim benefacere aliis. Ergò si benefacit, non sanè exteris, sed amicis. Vita etiam, quæ cum ignotis transigitur, cum beatitudine pugnat, maximè ob metum & suspicionem, quòd peregrinorum animus ergà nos non sit investigatus, adeoque sermonis & consiliorum communicatio non sat sit libera: quam tamen beatitudo maximè requirit.

31. Quibus autem amicis indigeat, non prolixè est explicandum. Non sanè jucundis, quia beatus ipse his, quæ ab amicis petimus atque expectamus, abundat: non jucundis, cùm beatitudinem moralem voluptas comitetur, adeoque non opus sit, ut aliunde sibi hanc accersat. Hinc sequitur, virum bonum honestis & virtuosis tantùm delectari. Nam in his optimè suas actiones poterit contemplari, & ex hâc actione summam percipere voluptatem. Præterea amicus honestus, qui est alter idem, etiam bene agit: atque hæc ipsa actio, ab amico percepta, tantam instillat voluptatem, non secus, ac si ipse operatus fuisset.

32. Q. II. Num amicitia possit esse inter plures? Negativam partem tuetur Philosophus lib. 8. Ethic. Nicom. cap. 6: cumq; eo Plutarchus in περὶ τῆς πολυφιλίας, ubi eos, qui cum quovis ineunt amicitiam, comparat Polypo, cuius rei adherenti, ejusque colorem assumentis. Lucianus, qui prioribus adstipulatur, testatur, πολυφιλίαν apud Scythas tam infamem fuisse, ut
apud

apud alias gentes unius mulieris cum multis viris consuetudinem. Monet autem Aristoteles lib. 9. Ethicorum cap. 10. quòd generaliter quæsito de amicorum numero ferè responderi possit idem, quod Hesiodus lib. 2. Operum & Dierum præcipit de hospitalitate, hominem videlicet, neque πολύξεινον, neque ἀξεινον esse decere.

33. Quòd autem inter plures amicitia locum non habeat, ex singulis amicitia speciebibus potest ostendi. Non in utili, quia non rarò unusquisque vix ipsi sibi satis est ad negotia utiliter & rectè procuranda: ideoque pluribus simul velle prodesse, magis laboriosum & difficile, imò ferè fieri nequit. Si ex multis (quod exemplum est Plutarchi in citato libello) amicis unus ad prandium, alius ad funus, alius, ut in foro sibi sit advocatus, alius ad nuptias, alius ad iter, alius denique aliò, alius pecuniam roget mutuam, alius vestem atque hi omnes eodem tempore, quis par his omnibus esse possit? Non dicam, quòd attenuet rem nostram familiarem, & sæpe impedimento nobis sit ad virtutes exercendum, ad Remp. juvandam, atque ad studia, magis seria, perpetuanda.

34. Porro neque in amicitia, quam jucundam vocant, cum multi amicitadum potius, quam voluptatem afferant. Ita est in vitâ amicis utendum, ut condimentis in cibo. Hæc ipsa si fuerint pauca, reddunt cibos suaviores: si multa, nauseam afferunt vescentibus.

35. Tandem honestam quod attinet, quæ est propter virtutem inter viros bonos, non plures sunt habendi, quam videantur esse idonei ad vitæ conversationem atque officiorum amicitia communicationem. Hæc ipsa inter plures consistere nequit. Nam sæpe degunt in diversis locis ob negocia, quæ singulis incumbunt. At non possumus simul uno eodemque tempore cum pluribus in diversis locis conversari, multò minus debita iisdem præstare officia. Dum enim studemus, huic ut satisfaciamus, alterum vel negligamus, vel non ex æquo curemus, necesse est. Maximi momenti est hoc, quòd amici eodem planè modo debeant esse affecti. Hoc ipsum de pluribus affirmari minimè poterit

terit partim ob diversam indolem, partim ob morum, studiorum
ac status, quibus dissident, varietatem. Sed ne ulterius abea-
mus, exempla saltem producere fas erit, quæ amicitiam hanc non
inter plures, sed duos tantum extitisse, testantur. In sacris ce-
lebratur amicitia, quæ fuit inter Davidem & Jonathan. Profanæ
tria amicorum paria, Achillis & Patroeli, Orestæ & Pyladis, Da-
monis & Pythiæ, maximè prædicant.

36. Ex his sequitur, hanc, de qua fuit dictum, amicitiam
inter malos non reperiri. Nam virtute, quæ sola eam conciliat,
sunt destituti. *Semper, scitè inquit Cassiodorus, vera amicitia
inter bonos oritur, inter bonos proficit, inter bonos consummatur.*

37. Q. III. Num in Rebuspub. vitiosis amicitia reperiatur?
Cum in quavis societate tantum sit amicitia, quantum in eâ est ju-
ris, quòd tam latè pateat jus, quàm latè sese extendat amicitia, hoc
non est affirmandum. Nam in vitiosis Rerumpublicarum stati-
bus nihil aut parum est juris inter eos, qui imperant & obediunt.
Ergò etiam nil aut parum amicitia. Hoc non indiget probatio-
ne. Nam in vitioso regimine nulla aut perexigua est communio
bonorum inter imperantes & subditos. Inter quos autem nulla
est bonorum communio, inter eos quoque nullum est jus. Prius
declarat Philosophus exemplo Tyrannidis & societatis herilis.
Nam quia nulla est bonorum communio inter Tyrannum & sub-
ditos, nec non inter dominum & servum, quòd Tyrannus quævis
subditorum bona sibi vendicet, & servi neque bona propria, ne-
que communia cum Dominis possideant, sequitur, hinc neque jus,
neque amicitiam locum invenire.

38. Idem fermè de Oligarchiâ est sentiendum. Nam cum
hinc imperantes sua tantum quærant commoda, inter ipsos & sub-
ditos non magna poterit esse amicitia, quòd non magna sit bono-
rum communio.

39. Postremò Democratiâ quod attinet, in hâc amicitia
citius debetur locus, quàm in prioribus duabus formis. In eâ
enim major est civium æqualitas, & plura inter se habent commu-
nia, omnesque eundem scopum, nempe libertatem, spectant.
Notandum tamen de omnibus societatibus, tam corruptis, quàm
inte-

integrīs, tantò arctiorem debere esse amicitiam, quantò major est malorum & bonorum inter aliquos communicatio

40. Q. IV. *Num pro amico mortis periculum sit adeundum?* Pythagoræi putabant, amicitia veræ leges requirere, ut amicus pro amico moriatur, si modò amicum liberare possit. Hujus rei exempla illustre videre est in Damone & Pythiâ. Pythagoricæ Sectæ Philosophis. Verùm hoc cum lege naturæ pugnat, ut quis semetipsum vitâ privet, ad quam conservandam natura instigat. Non ergò ex virtute aliqua morali proficiscitur, quòd nulla harum naturæ contrarietur; sed potius in actionibus moralibus eandem perficiat. Justitia violatur. Hæc enim exigit, ut suum cuique tribuatur, sive illud sit debitum naturæ, (quòd in morte naturali pendimus) sive juris & facti, quòd in violentâ morte exigitur.

41. Ergò quamvis in amicitia summus amor, maximumque benevolentia vinculum esse debeat, nemo tamen pro amico mori tenetur, sive naturalem, sive violentam intelligas mortem. Morte enim naturali amicum liberare non possumus. Violenta verò mors infligitur, vel ob causam honestam, vel inhonestam. Quoad prius, invidus foret, qui amicum hoc honore privaret: posterius, nemo favere amico debet. Pugnat enim cum honestate, quæ amicitia finis est. Gratificandum ergò erit amicis usque ad aras. *Dabo egenti, inquit Seneca, sed ut ipse non egeam: succurram pericuro, sed ut ipse non peream.*

42. Q. V. *Cur benefactores impensius ament beneficiarios, quàm villos?* Hujus rei veteres Philosophi duas afferunt rationes. Primâ desumpta est à similitudine in quâ comparatur benefactor cū creditore, beneficiarius cum debitore. Hic ut se creditores habent ad suos debitores; ita vicissim ii, qui benefaciunt, ad eos, in quos beneficia conferuntur. Utriusque enim par videtur esse ratio. Jam autem creditor magis amat suum debitorem, quàm hic illum, ut facilis, quod mutuò dedit, recipiat: Debitor verò erga creditorem est longo aliter affectus animo: quem cupit extinctum, ne, quod accepit, restituere cogatur.

B 3

43. A1.

43. Altera ratio est Epicharmi, qui hujus rei causam putabat esse improbitatem atque ingratitude[m] hominum, quòd plerumque tardiores sint in referendâ gratiâ, quàm in accipiendo beneficio. Hinc proverbialis locutio: *Nil citius senescit, quàm gratia.*

44. Philosophus lib. 9. Ethicæ cap. 7. monet, has rationes non esse sufficientes. Simile, ait, cum re propositâ non planè convenire, quòd differant fine. Creditor enim non eodem fine amat suum debitorem, quo benefactor suum beneficiarium; cum amet creditor tantùm, sui debiti rursus ut fiat particeps; benefactor verò non ob remunerationem, sed propter illos ipsos, quibus benefecit: Ergò non tam debitorem, quàm debitum ipsum, creditor prosequitur amore: qui verò benefecit, magis ipsum, in quem contulit aliquid boni, quàm beneficium ipsum.

45. Ad alteram respondet, causam non posse tantùm esse malitiam hominum, sed natura hominibus esse implantatum, ut qui acceperit aliquid, facilius obliviscatur accepti beneficii, quàm ille, qui in alios aliquid beneficii contulerit. Affert ergò varias rationes. 1. Artifex suum opus semper magis amat. Jam beneficiarius est quasi benefactoris opus. 2. Beneficiarius suo benefactori est honestus; est enim testimonium ejus liberalitatis. Benefactor verò beneficiario tantùm est utilis ob beneficium, quod ei præstitit. Jam quæ honesta sunt, ea magis debent & solent amari, quàm quæ solùm sunt utilia. Præter has affert alias tres, quas ibi videre licet.

46. Q. VI. *Utrum Φιλαντία sit probanda? Φιλαντία* Latinis dicitur amor sui. Hanc supra modum fugiendam esse præcipiunt, & tanquam fontem omnium scelerum reprehendunt sapientes. Horatius eleganter admodum lib. 1. Od. 18.

subsequitur amor sui:

Et tollens vacuum plus nimio verticem.

Aristoteles lib. 9. Ethi. probat, virum bonum non debere esse *Φιλαντος*, cum id, tanquam probrum, alicui objici possit. Nam qui seipsum amat, omnia sui commodi causa facit, ac ferè ab omnibus odio habetur, quòd se curet, reliquosque negligat.

47. Con-

47. *Contra alii Φιλαντίας defendunt, quòd experientia, communi quasi consensu, probet, omnibus à naturà hoc insitum esse, ut seipfos ament, eaq; quærent, quæ maximè sint commoda atque utilia. Hinc Cicero lib. 3. de finibus: Omne animal simul ut ortum est, & seipsum & omnes suas partes diligit.*

48. *Utrique ut satisfiat parti, distinguimus inter Φιλαντίαν honestam & turpem. In optimo significatù notat eum amorem sui, quo quis animam, nobilissimam sui partem, virtutibus intellectualibus & moralibus excolit. De hoc amore sui agit sententia agentium. Sed quia hujus generis homines rariores sunt cygno nigro, vulgus non vocare solet Φιλάντους, quòd ignoret, qua in re consistat vera Φιλαντία. Contra in malà parte quando sumitur, significat istum amorem, quo quis, affectibus indulgens, in expetendis voluptatibus & bonis externis modum excedit, hincque variis sese contaminat vitiis. Hoc modo Φιλαντος qui existunt, meritò reprehenduntur.*

49. *Hinc sequitur, quòd vir bonus seipsum maximè diligere debeat, malus verò sui non possit esse amator. Nam vir prudens nunquam non studet, ut sibi ipsi acquirat optima & præstantissima bona, virtutem nimirum, sapientiam, doctrinam & reliqua animi bona: contra in improbo perpetua est pugna inter rationem & inferiores cupiditates. Quod enim recta ratio ei suadet & præcipit, id appetitui & cupiditatibus ejus adversatur atque displicet. Id Medea apud Ovidium lib. 7. Metamorphoseos fab. 1. fatetur:*

*Me trahit invitam nova vis: aliudq; cupido,
Mens aliud suadet. video meliora proboque,
Deteriora sequor.*

50. *Q. VII. Num homini ergà seipsum possit esse amicitia? Affirmativam probat communis hominum opinio & loquendi consuetudo. Cùm enim nobis cum aliquo summam esse necessitudinem indicamus, solemus dicere: nos eum ita amare, tanquam nosmetipfos. Idem patet ex amicitia proprietatibus. Cui autem hæ insunt, eidem etiam amicitiam inesse sequitur. Quòd autem hæ notæ in viro bono inveniantur, patet. Nam in viro bono*

erga

erga seipsum est concordia, quatenus est consensus in omnibus animi viribus & potentiis adeò, ut, quicquid recta ratio suadet, id etiam approbet appetitus. Unde fit, ut, quod ei semel rectum & honestum visum fuit, id ei semper tale sit; adeoque in viro bono existat constans, eademque perpetua animi actio. Deinde in homine prudenti est erga seipsum benevolentia, quando sibi ipsi bene vult facitque id, quod est verum bonum, non alterius, sed sui ipsius gratiâ, ob mentem, quâ præditus est. Hanc præcipuè amat, eamque virtutibus & artibus ornat. Porrò vir bonus amat suam incolomitatem, & libenter secum ipso versatur & habitat. Hæc conversatio jucunda est partim propter rerum præteritarum recordationem, partim propter spem futurorum bonorum, quorum possessionem adminiculo virtutis se sperat consecuturum. Tandem vir bonus secum ipso lætatur & gaudet ob actiones honestas; vel dolet, eùm est dolendum: ita ut huic semper idem sit ratione circumstantiarum vel jucundum, vel molestum.

51. *Q. VII. Quibus conveniat amicitia?* Cùm amicitia præclarissima res sit, jure varias easdemque haud ignobiles postulat condiciones. Exponit virum nobilem, non semper natalium splendore, sed cumprimis animo. Versatur inter eos, qui urbanam hanc vitam sequuntur: qui conformes sunt ætate, studio & moribus: non valde egeni, nec etiam nimium opulenti: non ambitiosi, non morosi, non invidi, non leves, non suspiciosi, non senio confecti, nec nimium adolescentes, non vehementer suæ utilitati suoque addicti commodo: ad bene merendum proclives potius, quàm ad reposcendum. Nam beneficentia maximè omnium ingenuos sibi devincit animos, quibus etiam haud inconvenienter competit.

52. Porrò ad illos quadrat, qui non nimium prosperâ evehuntur fortunâ, nec nimium adversâ premuntur. Extrema enim paupertas amicitiam læpe dissolvit. Mediocris contra conservat eandem confirmatque. Qui sunt memores beneficiorum, neque ad iram propensi. Id docet Homerus, ubi Patrocum Achilli, & Diomedem Stenelo amicitiam jungit.

53. Insuper qui veram & diu futuram meditantur amicitiam, non solliciti nimium & faciles esse debent ad parandos amicos, nec multos querant. Nam qui citò sibi conciliat amicitiam, citò eandem dissolvit, & qui multorum est studiosus, nemine verè fruitur. Inter Principes amicitia est rara. Mares constantiore inter se invicem ligantur amicitiam, quàm foeminae, quòd viri in actionibus magis versentur, liberiores sint & ornamentis animi majorem navent operam. Fieri tamen potest, ut saltem secundo sit inter foeminas, & tertio inter marem & foeminam. In Rep. optimatum cumprimis amicitia fulget, quia in ea virtuti debetur locus. Ubi autem virtus, ibi etiam amicitia, de quâ loquimur, reperiri potest.

e-
m
i?
A-
os
n-
est
st,
a-
B.
on
B.
ti-
io-
oo-
fus
ci-
vâ
L-
oc-
ni-
vic,
Nô
a &
dâ;
L-
ros
mi-
am
se-

05 A 22021

ULB Halle 3
003 782 522


Sto

VD 77

Ca,







B.I.G.

Farbkarte #13

racticâ Philosophiâ
 De
ICITIA,
 PRÆSIDE
 ELE VVENDELERO P.P.
publicè disputaturus est
HECHTIUS Magdeburgensis
Maij boris antemeridianis
in Auditorio minori.

WITTEBERGÆ
 Typogr. MICHAELIS WENZ.
 ANNO M DC XLI.

37

